

Araliacearum Madagascariae et Comores epilogus : 3. Species nova Schefflerarum

Autor(en): **Bernardi, Luciano**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Candollea : journal international de botanique systématique =
international journal of systematic botany**

Band (Jahr): **28 (1973)**

Heft 1

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-880156>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Araliacearum Madagascariae et Comores epilogus.

3. Species nova Schefflerarum

Auctore LUCIANO BERNARDI, felsineo

RÉSUMÉ

L'espèce nouvelle *Schefflera Moratii* est décrite d'après un spécimen de Madagascar.

SUMMARY

The new species *Schefflera Moratii* is described from a specimen from Madagascar.


ZUSAMMENFASSUNG


Die neue Art *Schefflera Moratii* ist nach einem Beleg aus Madagaskar beschrieben worden.

***Schefflera Moratii* Bernardi, spec. nova**

Typus: *R.N. 10980* (legit Rakotovao), Canton Manaka Est, District Ambatondrazaka (17.1.1959).

Arbor, statura et forma in schedula desunt; ramuli glabri, cortice laeve in sicco exhausti et sulcati. *Folia* solemniter simplicia. *Petioli* teretes, producti usque ad 18 cm, in sicco sulcatuli, parum ad ramulum incrassati, stipulis omnino obsoletis; laminae obovatae, 14-18 cm longae, 7-9 cm latae, chartaceae, glabrae, lucidae superne, opacae infra ut videtur glaucescentes in vivo, margine crenato de apice rotundato usque ad dimidiam partem, ceterum recto. Costa superne prominula et sat inconspicua, inferne crasse prominens et quam lamina atrior; nervi laterales 7-9 jugi, gracillimi, sat divaricati, ex costa alterne oriuntur, incerti marginem petunt et saepe divaricantur; reticulum venularum laxum, vix notandum.





Inflorescentiae in specimine typico, quod unicum adhuc utendum est, tantum partim adsunt: ut racemi lignosi, crassi, sulcati, fulvescentes, incurvati, 9-10 cm longi, floriferi modo superne, ferentes axes laterales assurgentes 2-3 cm longos qui flores sparsim bracteis cochleariformibus suffultos donant, sed in umbellula terminale conficiuntur; vigintiflora vel ultra, involucellis triangularibus praedita. *Flores* hermaphroditi, parvi, maturi in typo ergo petalis staminibus delapsis, pedicellis exilibus sulcatis 4-5 mm longis; receptaculo 2 mm alto, calyce marginato, sepalis 5 acutis; discus carnosus depresso-conicus vel pulvinatus. Stili (4-)5 primum erecti, attenuati, 1 mm alti, mox radiatim aperti; basi coaliti; ovarium 4-5 loculare. Fructus desiderantur.

Nomen vernaculum: Ambonabonabe.

Nuncupationis causa

Docto, perseveranti collectore speciminum Madagascariae plantarum, Horti Botanici et Herbarii Tananarive (Tsimbazaza) praefecto, studioso etiam prata madacassia: Philippo Ludovico Morat, qui natus est Saïgon 19.1.1937, hanc speciem dedico. Dendrologia istius insulae, cujus opulentiam Botanicorum curiositate celsus Philibertus Commerson lustravit epistula memoranda (18.4.1771), nunc orbata quasi vidua studiis et scientia admirabile †Renati Capuron manet! Auspicandum est igitur Philippum L. Morat per semitas silvanas saepius inire et specimina arborum etiam hujus speciei legere et Dendrologum egregium potius quam agrostologum fieri: quia nemora non prata ab igne, ab secure, ab vesana incolarum fame terrarum delentur et cum illis species pulchrae, genera magni momenti Rerum Naturalium evanescent in perpetuum.

Observationes ad hanc speciem

Quamquam juxta me tantum unum specimen et mancum adest, speciem novam nuncupare audeo, quia plurimis characteribus facile dignoscendis ab ceteris *Schefflera Moratii* abmovetur. Delineationibus comparatis, a dominilla Lina Guibentif confectis, hoc clarius fiet, *Schefflerarum* Madagascariae foliis simplicibus (*Schefflera Capuroniana* var. *Capuroniana* omissa ob formam foliorum solemniter obhastata, primo visu dissimilis).

A	=	<i>Schefflera Moratii</i>
B	=	<i>Schefflera Halleana</i>
C	=	<i>Schefflera Capuroniana</i> var. <i>bracteolata</i>
D	=	<i>Schefflera Favargerii</i>
E	=	<i>Schefflera Staufferana</i>
F	=	<i>Schefflera monophylla</i>

Commentarium dissimilitudinum in icone evidentium

a) Differt species A in proportione petiolorum et laminarum (B, C, D, F) vel ob dimensionem (E).

- b) Distinguitur A de B, D, F ob partem ultimam inflorescentiae: umbellulae in B, D; umbella umbellularum in F; racemus in C; racemus et floribus apice congressis, in E; racemus cum umbellula floribunda, apicali in A.
- c) Inter species foliis plus minusve pariter magnis, A abhorret a D in numero loculorum ovarii, ab F, contra, eodem numero loculorum, non solum a), b) causa, sed etiam forma stilopodii et venis foliorum.

Conclusio

Proprior ad hanc speciem novam, *Schefflera Staufferana* conspicitur; *Schefflera Moratii* quasi pons inter seriem "Anticipes" et "Racemosae" (cf. Bernardi in *Candollea* 24: 89-122. 1969). consideranda est, mea ratione.

